

malis hoc moribus tribuens eorum, qui in ipsa Ecclesia damnabili conversatione vivebant, de collegarum suorum moribus gemit, nec suum gemitum silentio tegit; sed dicit, eos in tanta cupiditate fuisse progressos, ut, esurientibus etiam in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, usuris multiplicantibus fœnus auferent. Puto, istorum avaritiâ, fundis & fœnore Cyprianum non fuisse maculatum; nec tamen ab eis corporali segregatione, sed vitæ dissimilitudine fuisse disjunctum. Cum eis altare tetigit: sed immundam illorum vitam ille non tetigit, quando sic culpavit atque redarguit. Placentia quippe ista arguuntur, displicentia repelluntur. Ideoq; illi optimo Episcopo nec censura, quâ peccata coerceret, nec cautela defuit, quâ unitatis vinculum custodiret. Legitur ejus in quadam epistola, quam scripsit ad Presbyterum Maximum, de hac re clara & aperta sententia, quâ omnino præcepit, propheticam regulam tenens, nullo modo Ecclesiæ deserere unitatem, propter malorum permixtionem. Nam etsi videntur, inquit, in Ecclesia esse zizania; non tamen impediri debet fides aut charitas nostra, ut, quoniam esse zizania in Ecclesia cernimus, nos de Ecclesia recedamus. Tantummodo nobis laborandum est, ut frumentum esse possimus. Istam charitatis legem, ex ore Christi Domini promulgatam, [Ipsius enim sunt istæ similitudines, & de zizaniis usque ad tempus messis, in unitate agri per mundum, & de malis piscibus, usque ad tempus litoris, intra eadem retia tolerandis: Hanc ergo charitatis legem] si majores vestri mente retinerent; si cum Dei timore cogitarent; non, propter Cæcilianum & nescio, quos, Afros, sive, ut putatis, revera criminosos, sive, quod magis credendum est, calumniis appetitos, se, ab Ecclesia, quam descripsit ipse Cyprianus per omnes gentes radios suos porrigere, & ramos suos per omnem terram coarctatam ubertatis extendere; non, inquam, se, à tot gentibus Christianis, quæ omnino nescierunt, qui, vel quid, vel quibus objiciebant, nefariâ separatione discinderent: quod non fit, nisi aut similitate privatâ potiùs, quàm utilitate communi, aut illo vitio, quod consequenter Cyprianus ipse connumerat vitandumque commemorat. Nam cum præcepisset propter zizaniam, quæ in Ecclesia cernitur, non esse Ecclesiam deserendam, sequitur & adjungit: Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut, cum cæperit frumentum Dominici horreus condi, fructum pro opere & labore nostro capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: In domo autem magna non solum sunt vasa aurea & argentea; sed & lignea & fictilia, & quedam quidem honorata, quedam inhonorata. Nos operam demus & quantum possumus, laboremus, ut vas aure-

Lib. de la-
psis, sub
initium.

Cypr. ep.
51. sive lib.
3.3.

Matth. 13.
30, 48.

Cypr. prin-
cipio lib. de
unit. Ec-
clesia.

2. ad Tim.
2, 20.